



**Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Art. I. Vtrum electio sit actus voluntatis, vel intellectûs?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](#)

riò & per se, & aliud secundariò & per accidens, A  
seu ratione alterius, & veluti in obliquo & de  
connotato; & hac secundo modo, eodem actu  
intentionis vel electionis attinguntur; intentio  
enim respicit finem, ut est ratio volendi media,  
& quatenus est alsequilibilis per illa; electio vero  
tendit ad media, prout conducunt ad alsecutio  
nem finis. Unde D. Thomas hic art. 4. ad 3. compa  
rat istos duos actus ascensi & descensi: si  
cuit enim ascensus incipit à loco inferiori, &  
terminatur ad superiorem, contra vero descendens  
incipit à loco superiori, & terminatur ad in  
feriorem: ita intentio incipit à fine in quem pri  
mò fertur, & ex illo descendit ad media, ad qua  
secundariò terminatur; electio vero incipit à B  
mediis, ad qua primò fertur, & ex illis ascendit  
ad finem, ad quem secundariò terminatur. Ex  
quo non sequitur finem eligi, & media intendi:  
quia solum dicitur intendi id in quod primò &  
per se fertur intentio, qualis est finis; & eligi id  
in quod primò & per se tendit electio, qualia  
sunt media.

6. Confirmatur hæc doctrina & responsio exem  
plò quo utitur D. Thomas in fine corporis ejus  
dem articuli. Eodem modo se habet voluntas ad  
finem & ad media, quo se habet intellectus ad  
principium & ad conclusiones, ut ait Philosophus 2. Physic. textu 29. Ergo sicut intellectus non potest unico actu ferri in principium & in conclusiones, si ad utrumque primariò & per se  
tendant; bene tamen si unum attingat primariò &  
aliud secundariò, & consideret principia prout  
continent conclusiones, vel conclusiones prout  
reludent & continentur in principiis: ita pariter  
voluntas fertur distinctis actibus in finem &  
media, si quodlibet eorum primariò, per se, &  
absolutè attingat; secùs vero, si unum velit cum  
ordine & subordinatione ad alterum. Unde in  
quit S. Doctor supra qu. 8. art. 3. Finis ut est ra  
tio volendi medium, eodem actu appetitur quo  
medium. Et hic art. 4. Cum dico, volo medici  
nam propter sanitatem, non designo nisi unum  
motum voluntatis: cuius ratio est, quia finis ra  
tio est volendi ea quo sunt ad finem; idem autem  
actus cadit super objectum, & super rationem ob  
jecti, sicut eadem visio est coloris & luminis.

7. De hoc actu eleganter differunt SS. Patres,  
præsertim Gregorius & Bernardus: Ille enim ex  
plicans istud Iob 38. Super quo bases illius soli  
dare sunt, sic ait: Bases uniuscujusque anima  
sunt intentiones sua: nam sicut fabrica columnis,  
columnæ autem basibus innituntur; ita vita no  
stra in virtutibus, virtutes vero in intima inten  
tionib[us] subsistunt. Itse vero in hac verba Cantico  
rum: Pulchra sunt genera tua sicut turris; dicit  
faciem animæ esse mentis intentionem, quia sicut  
ex facie pulchritudo corporis estimatur, ita &  
reditudo operis ex mentis intentione. Ob eandem  
rationem apertissimè mentis intentio lucernæ &  
oculo à Christo comparatur: nam sicut à luce  
omnia decorantur & ornantur, ita (inquit Gre  
gorius) per bona intentionis radium, merita il  
luminantur actionis. Et sicut oculo pes, manus,  
& cætera corporis membra reguntur, eorumque  
externi motus, quod debent tendere diriguntur:  
sic intentio, veluti animæ oculus, humanos  
actus in ultimum finem ordinat, à quo mala in  
tentione deflectunt. Unde inquit Gilbertus in  
Canticis: Si plures habes oculos, sagittantis exem  
plò, omnes alios clade, hoc unò utaris, quo solum  
dilectum valeas intueri.

## DISPUTATIO IX.

### De Electione.

*Ad questionem 13. D. Thome.*

**E**GIMVS de actibus circa finem: dicen  
dum sequitur de actibus circa media; &  
primò de his qui pertinent ad ordinem  
intentionis, electione scilicet, consilio, & con  
sensi; postea de illis qui spectant ad ordinem  
executionis, usū nimurum & imperio.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Vtrum electio sit actus voluntatis, vel  
intellectus.*

**P**ATET ex jam dictis, ad eligendum requi  
ri intellectus & voluntatis concursum; in  
tellectus quidem, ut consulat de mediis, & deli  
beret quenam determinatè sint eligenda; vo  
luntatis vero, ut ea præ alijs in ordine ad finem  
intentum acceptet. Unde difficultas est, in quo  
nam istorum actuum consistat formaliter ele  
ctio, an in actu voluntatis, vel in actu intel  
lectus: non potest enim in utroque ex æquo con  
sistere (quicquid dicant in contrarium Bellar  
minus lib. 3. de gratia & lib. arbit. cap. 9. & Salas  
hic tract. 6. disp. 1. sect. 5.) nam apud omnes ele  
ctio unum aliquid denotat, seu unum hominis  
actus, sicut intentio, fruitio, & reliqui volun  
tatis actus.

### S. I.

*Difficultas resolvitur.*

**D**ICO igitur, electionem esse substantialiter  
actus voluntatis, licet præsupponat spe  
ciale motionem & ordinationem rationis.

Prima pars probatur primò ex communi con  
sensi hominum: nam licet quis judicet aliquid  
esse melius vel utilius, donec tamen illud velit,  
non censetur elegisse.

Secundò probatur: Objectum electionis est  
bonum utile: Sed sola voluntas versatur circa  
bonum: Ergo electio est actus voluntatis.

Tertiò: Electio est actus libertatis, qua id  
circo vis electiva appellatur: Sed libertas in vo  
luntate tanquam in propria sede & cubili refi  
det: Ergo & electio; subindeque est actus vo  
luntatis.

Quartò: Virtus moralis, quæ est habitus ele  
ctivus, in voluntate subjectatur: Ergo & ipsa  
electio.

Denique, ut discurrit D. Thomas hic art. 1.  
actus qui materialiter pertinet ad unam potent  
iam, & formaliter ad aliam, est secundum sub  
stantiam & elicitive illius potentiarum ad quam per  
tinet materialiter: Sed actus electionis est mate  
rialiter à sola voluntate, & formaliter tantum  
ab intellectu: Ergo elicitive, & secundum sub  
stantiam, est à voluntate. Majorem declarat S.  
Doctor in actu fortitudinis, in finem charitatis  
ab ipsa charitate ordinato, qui secundum sub

stantiam & elicitivè est ab habitu fortitudinis, quia ad illum pertinet quantum ad materiale, & ab habitu charitatis solum quantum ad formale, seu quantum ad ordinem in ultimum finem. Minor verò si ostenditur. Actus qui fertur in bonum ordinatum per rationem, materialiter est voluntatis, formaliter verò intellectus: Sed electio fertur in bonum ordinatum per rationem: Ergo materialiter est voluntatis, formaliter verò intellectus. Minor est certa: electio enim supponit ordinacionem rationis, quā media inter se & in ordine ad finem intentum comparantur, ut infra parebit. Major in qua est difficultas, sic ostenditur. Quando ad aliquem actum concurrunt duo principia, quorum unum se habet ut dirigen, & movens, aliud verò ut motum & directum, quod se tenet ex parte dirigentis, & moventis, se habet formaliter; quod verò se tenet ex parte illius quod dirigit & movetur, se habet materialiter, ut patet in exemplo jam adducto: nam cū actus fortitudinis imperatur à charitate ut exercetur propter Deum, tunc actus illi materialiter est à fortitudine, formaliter verò à charitate; quia id quod est à virtute inferiori, se habet ut materia respectu illius quod est à virtute superiori dirigente aut movente: Sed quando aliquis actus fertur in bonum ordinatum per rationem, ad eum concurrunt intellectus & voluntas; intellectus quidem ut dirigen & movens in suo genere, voluntas verò ut directa & mota: Ergo quando aliquis actus fertur in bonum ordinatum per rationem, est quidem rationis quoad formale, sed quoad materia est voluntatis.

2. Dices: Non solum materia, sed etiam forma pertinet ad substantiam rei, imò forma est principalior: Ergo si materiale electionis pertinet ad voluntatem, & formale ad intellectum, dicendum est electionem esse actum utriusque potentiae, & principalius pertinere ad intellectum.

Sed contra primo: Quamvis in naturalibus forma sit principalior, sicut tamen in artificialibus: Sed electio est veluti quoddam artefactum: Ergo in ea materia præstat formæ.

Secundò: Esto quod tam in artificialibus, quam in naturalibus, forma intrinseca & essentialis rei sit principalior materia, non tamen forma extrinseca & accidentalis: Atqui actus rationis non est forma intrinseca & essentialis electioni, sed extrinseca duntaxat; nam forma essentialis electionis est habitudo transcendentalis ad medium per intellectum confiliatum, & ideo ipse actus rationis, qui est consilium, est tantum forma extrinseca, ex eo quod terminus relationis, qua est forma intrinseca, si objectum ut confiliarium seu ordinatum per rationem: Ergo actus rationis, esto se habeat per modum formæ, non pertinet tamen principaliter ad electionem.

Quod autem D. Thomas voluerit actum rationis esse tantum formam extrinsecam & accidentalem, respectu electionis, patet, tum ex propositione quam ad id probandum assumit, ait enim: *Actus qui est essentialiter unius potentiae vel habitus, recipit formam & speciem à superiori potentia vel habitu, secundum quod ordinatur inferioris à superiori.* Manifestum est autem, quod actus essentialiter pertinens ad unam potentiam, non recipit formam aut speciem essentialiem ab alia superiori potentia. Tum etiam exemplum

A quod adducit de actu fortitudinis, à charitate imperato, id est, ad finem charitatis relato; nam evidens est talis actum non habere suam speciem essentialiem à charitate, sed à fortitudine.

Secunda pars conclusionis, quæ assertit quod electio presupponit speciale motionem & ordinacionem rationis, probatur egregio discursu D. Thomæ qu. 22. de verit. art. 13. ubi hæ scribit: *Quandocumque sunt duo agentia ordinata, secundum agens dupliciter potest movere vel agere: uno modo secundum quod competit natura sua: alio modo secundum quod competit natura superioris agentis. Impresso enim superioris agentis manet in inferiori; & ex hoc inferius agens non solum agit actione propria, sed actione superioris agentis: sicut sphaera Solis movetur proprio motu, qui spatio unius anni expletur, & motu primi mobilis, qui est motus diurnus. Similiter & aqua mouetur motu proprio tendendo in centrum, & habet quemdam motum ex impressione Luna, que movet ipsam, ut patet in fluxu & refluxu maris. Corpora etiam mixta habent quædam operationes sibi proprias, quæ consequuntur naturam quatuor elementorum, ut tendere deorsum, calefacere, infrigidare; & habent alias operationes ex impressione cœlestium corporum, ut magnes attrahit ferrum. Et quamvis nulla actio inferioris agentis fiat, nisi presupposta actione superioris: tamen illa actio, quæ competit ei secundum suam naturam, attribuietur ei absolute, sicut aqua moveri deorsum: illa verò quæ ei competit ex impressione superioris agentis, non attribuitur ei absolute, sed in ordine ad aliud: sicut fluere & refluxu dicitur esse proprius motus maris, non in quantum est aqua, sed in quantum moveatur à luna. Rationem autem & voluntas sunt quædam potentie operationes ad invicem ordinatae; & absolute considerando ratio prior est, quamvis per reflexionem efficiatur voluntas prior & superior, in quantum moveat rationem. Vnde voluntas potest habere duplicum actum, unum qui competit ei secundum suam naturam, in quantum tendit in proprium objectum absolute; & sic actus attributus voluntati simplificiter, ut velle & amare, quamvis ad hunc actum presupponatur actus rationis: alium vero actum habet, qui competit ei secundum id quod ex impressione rationis relinguatur in voluntate: cum enim proprium rationis sit ordinare & conferre, quandocumque in actu voluntatis apparet aliqua collatio vel ordinatio, talis actus erit voluntaris, non absolute, sed in ordine ad rationem.*

Hæ Divus Thomas elegansissime: ex quibus aperte concluditur, quod electio pra omnibus actibus voluntatis, & plusquam intentio, dependet ab intellectu, specialeque rationis motionem & ordinacionem supponit. Pro cuius majori declaracione:

E Scindunt est, quod sicut est proprium voluntatis movere per modum impulsus quoad exercitium, ita est proprium intellectus movere quoad specificationem, & in genere causæ finalis, exhibendo voluntati bonum quod allicitur, in quo consistit finalis causalitas. Sed potest intelligi has duas potentias duobus modis se mutuo movere: primò scilicet generali quædam ratione, prout una supponit quodammodo aliam in sua operatione; sic ut voluntas presupponit semper actum intellectus, representantem objectum in quod tendat, & voluntas applicat & quasi impellit intellectum ad objecti considerationem: secundò potest intelligi hujusmodi

potentias se movere speciali quadam ratione, A quatenus una recipit ex motione alterius specialis quendam modum operandi, quem communicat suis actibus, quemque non communicaret, motione illa seclusa: v. g. intellectus ex sua ratione habet ordinare & collative procedere, unum alteri conferendo; hoc autem non habet voluntas ex se, sed solum inclinare, & per modum impulsus in objectum tendere: unde quod hoc faciat ordinare, & accipiendo unum pro alio, & cum collatione ad aliud, non habet ex se praeceps; id tamen participare potest ex motione & ordinatione intellectus. Similiter intellectus ex vi sua tendit in objectum per modum manifestantis & illuminantis, ex impressione autem voluntatis, cum quadam efficacia & impulsu, ut pater in imperio, quod non solum ordinat ad opus, quod est proprium rationis a qua procedit, sed etiam cum quadam efficacia live impulsu (modo inferiori explicando) movet ad executionem. Electio ergo non solum supponit generalem illam motionem intellectus, quam ad omnes actus voluntatis concurrit, representando illi objectum in quod tendat, & a quo specificatur, sed etiam specialem quam media ordinat ad finem, & ea inter se confert, ac judicat unum alteri esse preferendum; & ideo Aristoteles 3. Ethic. cap. 2. dicit electionem esse appetitum consilii, id est objectum per consilium propositum, & per rationem deliberati. Et D. Thomas quæst. 22. de verit. art. 25. *Electio (inquit) est actus voluntatis, non absolute, sed in ordine ad rationem, eo quod in electione apparet id quod est proprium rationis, scilicet conferre unum alteri, vel preferre; quod quidem in actu voluntatis inventum ex impressione rationis, in quantum scilicet ipsa ratio proponit voluntari aliquid non ut utile simpliciter, sed ut utilius ad finem.* Unde triplicem voluntatis ab intellectu dependentiam, seu triplicem gradum dependendi ab intellectu possimus distinguere: primus est in proponendo objectum, quod ad omnes actus voluntatis requiritur; secundus in ordinando finem ad media, vel media ad finem, & hic est communis intentioni & electioni: tertius est in conferendo media inter se, & preferendo aliquid vel aliqua; & hic solum competit electioni, & ideo electio specialiter importat dependentiam a ratione, & majorem adhuc quam ipsa intentionem.

D. 11.  
art. 3.

S. II.

*Solvuntur objectiones.*

6. **O**BJICIES primò contra primam partem conclusionis: *Electio est actus prudentiae: Sed prudentia est in intellectu: Ergo electio est in intellectu pertinet.*

Respondeo omnem electionem non esse à prudentia, cùm etiam imprudentes eligant; illam verò, qua est à prudentia, non esse ab illa elicitive, sed directivè tantum, seu regulative, quia bona electio debet dirigi & regulari per prudentiam; qua ut docet D. Thomas infra qu. 57. & 2. 2. qu. 49. & 51. habet tres actus, scilicet judicare, consilire, & præcipere; & per duos primos regulat electionem faciendam ab habitu virtutis moralis, per tertium verò regulat ipsam executionem seu usum, ut infra patet, cùm agemus de imperio.

7. **D**iccs: *Divus Thomas 2. 2. qu. 124. art. 2. ad 2. dicit quod martyrium principalius est actus charitatis, quam fortitudinis; quia licet elicatur à fortitudine, dirigitur tamen à charitate; Ergo si prudentia dirigat & regulet electionem, magis debet dici actus prudentiae, quam virtutis moralis.*

Respondeo ex eodem S. Doctore qu. 2. de malo art. 3. quod particula, *principaliter*, duobus modis sumi potest: primò ut significat idem quod primordialiter; secundò ut significat idem quod completive: quando ergo docet martyrium pertinere principaliter ad charitatem, sumit ly *principaliter* in primo sensu, & solum vult martyrium ab ipsa charitate primordialiter, seu originative procedere, quamvis à virtute fortitudinis elicatur. Idem cum proportione de electione dici debet: illa enim ad intellectum & prudentiam originative & primordialiter pertinet, ad voluntatem vero & virtutes morales elicitive & completive.

B Objicies secundò: *Virtutes morales quæ versantur circa passiones, ut temperantia & fortitudo, resident in appetitu sensitivo, ut docet S. Thomas infra qu. 56. art. 4.* At illæ virtutes sunt habitus electivi, & habent pro actu proprio elicere electionem rectam in tali materia, moderando passiones: Ergo electio non solum ad voluntatem, sed etiam ad appetitum sensitivum pertinet, & ab illo elicetur.

C Respondeo virtutes morales quæ sunt circa passiones, residere in appetitu sensitivo, non quatenus sensitivus & materialis est, sed in quantum participat aliquid de ratione, & est rationalis per participationem, ut ait D. Thomas loco citato in resp. ad 1. & ita electionem posse esse ab appetitu sensitivo, non absolutè & secundum se considerato, sed ut moto à ratione & voluntate, & ut participante à voluntate aliquam libertatem imperfectam, ratione cuius potest etiam in illo esse peccatum, ut assertit idem S. Doctor infra qu. 74. art. 3.

#### ARTICVLVS II.

*De quibus sit electio?*

D Ico primo, electionem non esse de fine, ut finis est, sed tantum de mediis. Ita D. Thomas art. 3.

E Probatur primò: *Electio, ut ait Aristoteles, est appetitus præconsilii: Sed consultatio non est de fine, sed tantum de mediis;* Medicus enim v. g. non consultat an infirmus sit sanandus, sed solum quibus mediis seu remediis sanandus sit: Ergo nec electio.

Secundò: *Electio est velut quidam motus voluntatis: Ergo cum omnis motus procedat ex aliquo immobili, ut saepe docent Aristoteles & D. Thomas, debet omnis electio ex intentione alicuius finis procedere, subindeque non circa finem, sed circa media versari.*

Tertiò: *Eligere est quasi unum ex multis legere: Sed hoc non potest fieri nisi ex præsupposito amore finis, qui sit ratio discernendi unum ab alio, utpote magis opportunum ad finem obtinendum: Ergo electio amorem & intentionem finis supponit, & circa media versatur.*

Denique probatur conclusio: *Sic se habet electio in operationibus, sicut discursus in speculativis: Atqui intellectus non discurrit circa principia, sed circa conclusiones: Ergo nec voluntas eligit*